

## DE OFFICIO PROCONSULIS ET LEGATI.

### 1.35.1

*Imp. Constantinus A. Aeliano proconsuli Africae.*

Legati non solum civiles, sed etiam criminales causas audiant, ita ut, si sententiam in reos ferendam perviderint, ad proconsules eos transmittere non morentur.

*D. k. Oct. Constantino A. VI et Constantino C. cons.*

[a. 320]

### 1.35.2

*Imp. Arcadius et Honorius AA. Simplicio proconsuli Asiae.*

Officium Hellesponti consularis aeternae recordationis patrem serenitatis nostrae adiit et expositis suis incommodis, quibus a vicarianis apparitoribus urgebatur, oravit sub tuae sublimitatis agere potestate, cuius adlegationes humanae proclivius pium principem commoverunt: quod et nos obtinere censemus.

*D. VIII k. April. Constantinopoli Arcadio III et Honorio III AA. cons.*

[a. 396]

## DE OFFICIO COMITIS ORIENTIS.

### 1.36.1

*Imp. Leo A. Pusaeo pp.*

Titulos, qui Alytarchiae et Syriarchiae muneribus in prima Syria deputati sunt, per officia tam viri spectabilis comitis Orientis quam viri clarissimi rectoris provinciae flagitari praecipimus.

1 ¶ Alytarchiae quidem ludi cura viri spectabilis comitis Orientis et eius officii, Syriarchiae vero sollicitudine viri clarissimi moderantis provinciam eiusque apparitionis exercentur, nullique penitus curialium, nec si voluerint, idem munus vel honorem subeundi licentia permittatur.

*D. Vid. Nov. Constantinopoli Basilisco et Herminerico cons.*

[a. 465]